



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Benevolo Lectori Author.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)



BENEVOLO LECTORI AUTHOR.



N duplex Gordius humanæ Conscientiæ Nodus, cui impli-
cando nihil non satis, cui explicando satis nihil. Quilibet suo
iudicio feliciter, alieno infeliciter eundem, extricare autumat.
Apostolicum Apophthegma est: *Omne, quod non est ex fide, pec-
catum est*; ne ergo peccatum sit, debet, qui operatur, certus de
non peccato esse. At hic opus, hic labor: unde ea non peccati cer-
titudine haurienda? Hauriunt illam à veritate Veristæ: at som-
niato eventu, cum in utrimque incertis, veritas exactè quæsitæ à
suo incertitudinis tumultu prodire negligat. Hauriunt à morali certitudine Certi-
tudinistæ, quamlibet suam opinionem, quasi lustrali aquâ, certitudinis nomine
aspergentes. At irrito labore: cum ea moralis certitudo, certitudinis superfluitio sit,
ait alter Juris-Prudentiæ Princeps, Baldus: qui enim certa moraliter sit utraque
contradictoria, cum contra se habeat rationes, & Doctores neutiquam contemnendos,
& neutra sit, quæ erroris, & culpæ periculo obnoxia non sit? Hauriunt à Tu-
tioritate Tutoristæ. At inausulto omine: cum neutra ex contradictoriis sæpe tutior
sit, ut evenit, quoties utraque pro lege certat, & plures Tutiores atro falsitatis, &
peccati therâ damnata sint. Hauriunt à Probabilioritate Probabilioristæ. At infe-
lici fato: nisi enim probabilior cum moraliter certâ (contra totum quæstionis syste-
ma) confundatur, omnis est de sui veritate, & de operis honestate, incerta. Demû
mirabili intellectus artificio certitudinem hauriunt Probabilistæ ab ipsis iudiciis
reflexis. Deditantes enim iudiciorum directorum, quasi certitudini communi-
candæ insufficientium, atmosphæram, ad puriorem mentis reflectentis regionem
convolant, & quò magis liberè ingenij sui alas ibidem explicant, eò magis à vincu-
lis absolutos se putant, & de certitudine inventâ gloriantur. Proh quantum humana
desipit sapientia! Quæ non in eâ tenebræ, caligo, & nox! Clamat stentoreâ voce no-
stra in nobis conscientia, vel plaudendo, si rectè, vel latrando, si pravè operatur.
Nemo ab hac, sive Satyrâ, sive Panegyri liber, exemptus nemo. Nemo tamen est,
qui eos conscientiæ latratus, aut plausus, quos quilibet in se audit, experitur, & pal-
pat, unde suam hauriant certitudinem, dilucidè detegit. Nè ergo inter hæc con-
scientiæ vincula, & certitudinis latebras, cæcutiens, & irretitus perirem, post
Quintum Tractatum, oppidò siccum, & exsuccum, ni dixerim aereum; tota liqui-
dem basis sunt exilissima mentis reflectentis phantasmata, ne, inquam, insuaviter, &
infructuosè perirem, ex ipsâ Deiparæ intelligendi, & operandi methodo, dulce
lucis, & armorum genus mihi paravi: Armorum, quibus conscientiæ incidantur
nodi: Lucis, quâ mentis dissipetur caligo. Bellè S. Bernardus Sermone de Aquæ-
ductu: *Tolle solem, ubi dies? Tolle Deiparam, ubique caligo involvens*. Ponderavi ergo
meo sexto Tractatu, contra Neotericos iudicij directi necessitatem mordicè tu-
entes, qualiter Deipara inter conjecturas, & probabilitates se gesserit. Qualiter etiâ
in incertis certum semper protulerit iudicium. Qualiter omne directum incertum
semper suspenderit. Qualiter, ubi res inter obscuritates latebat, à solo certo reflexo
dictamine

**

dictamine ad heroica quæque patranda directa fuerit. Hæc ponderavi, ut ex hac mirabili Prudentissimæ Virginis intelligendi, & volendi harmoniâ, si non eadem impotentia (nam possibile nobis non est sine culpâ, & errore materiali vitam transigere) (saltem formalis erroris, & peccati in me derivaretur.

Subaddidi ad calcem Digressionem de Sacramento Pœnitentiæ, juxta moderna Pontificum Decreta, quæ quamvis luce clariora, obscurâ aliquorum interpretandi libidine, cum maximo conscientiarum dispendio, non modicè scædantur. Breviuscula est pro materiæ amplitudine, attamen, ut mihi moris, ad Theologica principia, reducta. Ex quibus plurima non adeo obvia colligere licebit.

Concludo, mi Lector, Teenixè rogando, ne, quæ non spernendo labore, allegari multiplici Opinionum, & Opinantium varietate, ratione, & autoritate, triplici meo Tomo congesti, malam in partem, superficiali oculo, detorqueas: sive confundendo unam legem cum aliâ, sive legem cum non lege, seu consilio. Magistrum enim, cujus munus est docere, non Asceticû, cujus cura est promovere ad perfectiora. Negavi legem, ne umquam operemur, nisi prævio judicio evidenti, aut certo dere, ut in se est: at non negavi, quin asserui legem, sequendi semper invincibiliter moraliter certam, etsi in re falsam. Negavi legem sequendi semper tutiorem de licentiâ: at non negavi, quin asserui legem de sequendâ semper tutiorem de valore. Negavi legem obligantem semper ad probabiliorem inter certò probabiles: at non negavi, sed asserui legem vetantem, ne sequamur dubiè, incertò, aut probabiliter tantum probabilem. Has leges negavi existere, quin negavi esse leges, & asserui esse pura consilia, non ex obligatione, sed ex maiori perfectione expensis ulnis excipienda. Ne ergo unam cum aliâ lege, aut legem cum non lege, seu consilio confundas. Hæc ut Scholasticus docui.

Modò mihi, & Tibi sit Asceticus vitæ spiritualis Pædagogus, ipsa Mysticæ Sapientię Sedes, ipsa Ecclesiæ totius Magistra, ipsa animata Spiritus Divini arca, virtutum Christianarum Prototypus, sublimissimæ perfectionis microcosmus, omnis ignorantię antidotum, omnis ægritudinis pharmacum, omnium peccatorum spongia, omnium torpentium animarum esca. Hæc mihi, & Tibi Asceticus Magister sit. Torquebat se amarâ interrogatione patientissimus Job (cap. 28.) clamans: *Ubi est sapientia? Et quis locus intelligentiæ? nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium, seu, ut cõmentatur D. Bonaventura (Tom. 3. ferm. 2. de S. Greg.) carnaliter, & delicatè viventium.* Si ergo inter sensus illecebras, nec sapientia, nec intelligentia invenitur, necesse abs dubio est, ut inter spinas, clavos, crucem, paleas, & manus, quæ myrrham distillant, inveniat. Ita planè ait idem Bonaventura (Tomo 2. in cap. 2. Lucæ) *Si volumus Christum, Dei sapientiam invenire, ad Mariam oriûs accedendû.* Accedamus cum lacrymis, & gemitibus: audiamus illam, vigilemus quotidie ad ejus fores, observemus ad postes ostij, toto cordis nisu eam imitemur. Qui enim hanc vitæ Antistitem, & vitalem vitam inveniet, (ita vocat Deiparam Damascenus oratione de Dormitatione Mariæ) inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Felix qui à Deiparâ protegitur: Felicior qui eam imitatione profectur: Felicissimus qui ei, indissolubili amoris nexu, unitur.

Ad maiorem Divinæ Triadis, Deiparæ, Angelorum, Sanctorumque Ecclesiæ Doctorum gloriam, totiusque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, cui me, meaque omnia lubens submitto.